

16986.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

IN QUA

NOVUM ADCURATIONEM TRICHIASEOS REMEDIUM,

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE AC CHIRURGIAE

CONSENSU AMPLISSIMAE FACULTATIS MEDICAE

RITE IMPETRANDO,

IN ACADEMIA CAESAREA, QUAE DORPATI EST,

PROPONIT AUCTOR

JOSEPHUS AUGUSTUS HASSENMUELLER

OETTINGENSIS.

DORPATI, D. X. DECEMBR. M. DCCCII.



EX OFFICINA MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

Instituti ratio.

Plurima inter et varia, quae practicae mihi chirurgiae operam navanti innotuere, humanam naturam afficientia mala, expertus sum, Trichiasin saepius fortissimis et efficacioribus remediis tenaciter obtitisse. Si autem perpendamus, quanta, crescente ea, qualisque possit fieri devastatio, maxime horridam et noxiam habendam esse, nemo est, quin intelligat. Quo potiri potest oblectamento, aut qua de re fatis laetari, cui organum deficiat, cujus ope conspicienda sunt mundi aut naturae mirabilia, quorum contemplatione perspicua, orientibus in nobis amoenis sensationibus, jucundissime tum animus, tum corpus hominum afficiatur? Et quidem eatenus procedit morbus iste, ut omnino pereat oculus, aut saltem adeo minuat aegroti visus, ut non nisi locis occultis et tenebrosis inesse quaerat, ubi obsectorum, licet majorum, confusam solummodo sibi parare imaginem possit.

Nemo eorum, qui a priscis inde temporibus ad nostram usque aetatem morborum sanationi operam navarunt profecto est, cui morbus hicce non occurrerit, qui aegrotorum miseriae non condoluerit, nec pro viribus conatus sit, ejusmodi morbum aut funditus expellere, aut saltem, quo possit modo, ejus dolores et molestias lenire, ita, ut sibi et ipsi aegrotus et societati hominum reddatur aptior atque utilior. Rarissime tamen factum est, ut experientissimi quamvis medici quibusvis conatibus semper scopum sibi propositum attigerint. Constat enim, plerasque methodos, quibus sanari debeat Trichiasis,

nil magis effecisse, quam ut aut ad breve temporis spatium supprimatur, aut ex parte tantum fanetur; quin earum ne minimum quidem attulisse auxilium.

Intervallo fere octo annorum venerunt ad me, ut de Trichiasis liberentur, viginti duo hoc morbo laborantes, atque ita occasio mihi data fuit, genus et speciem morbi apte intuendi, nec non remedium a plerisque celeberrimis medicis commendatorum virtutem perscrutandi et comprobandi.

Diu quidem et Hippocratis et veterum omnium et recentiorum medicorum, qui hoc de morbo scripserunt, praecepta tenaci fidelitate tecuto mihi res non successit; insuper etiam ab eruditis in arte medica mihi notis et faventibus viris consilia rogata, non semper placuerunt. Tandem fortuito casu remedium sese obtulit aptius ad curandum hunc morbum, cum modo incremento pilorum impedito adhuc sanari possit.

Cum crebro istud morbi genus occurrat et facile cognoscatur, ab instituti mei ratione non alienum censeo, methodum meam, applicatu haud difficilem, cum iis communicare, qui in artis exercitio versantur.

Diagnosif morbi.

§. 1.

Si palpebrarum pili, cum exteriori parte sursum erigi debeant, e contrario oculus versus incrementum faciant, quod saepius evenit, praesertim, cum palpebrae margo in interiorem oculi partem inflexus est, pili, quae cilia vocantur oculi bulbum tangunt atque irritant, qui morbus Trichiasis dicitur. Est autem Trichiasis partialis, si unica modo palpebra, universalis, si omnes inflexae sint.

§. 2.

Rarissime duae reprehenduntur eadem in palpebra ciliorum series, quarum exterior, uti in statu naturali, sursum tendit; inferior vero versus oculi bulbum reflexa apparet. Hunc morbum Distichiasin nominant.

§. 3.

§. 3.

Ptofeos vocabulo venit, si musculus levator palpebrae laxus sit et solutus atque, continua irritatione conjunctivae interioris, tarsus curvetur et cilia ipsa in oculum nitantur, dum reactio cutis exterioris palpebrae plane cessat.

Causa morbi.

§. 4.

Qua gignitur Trichiasis, unam tantum esse causam censeo, licet Cl. Koehler (a) earum plures afferat, quae non nisi secundariae aut occasionales habendae sunt.

§. 5.

Morbofus quilibet tarsi status Trichiasin semper antecurrit et quasi ejus prodromus, seu genitor, contemplandus venit. Praecipuos inter morbos antecedentes, qui Trichiasi ansam praebent, Xerophthalmiam et Sclerophthalmiam recensere placebit; quippe quibus oculi tarsus intumescit, elaterem perdit, variaque ratione curvatur ac introrsum flectitur. Rem ita se habere convictus Cl. Koehleri opinioni annuere non possum, qui Trichiasin e spasmu musculorum palpebrae, tamquam e causa proxima, oriri contendit. Spasmus enim quivis, breviori longiorive temporis spatio elapso, sponte transit, eoque cessante morbus evanescat necesse esset, quod vero, experientia teste, non comprobatur. Nec minus mihi Cl. Sellii (b) sententia displicet, qui Trichiasin interdum e muscoli levatoris palpebrae relaxatione pendere autumat, cui roborantia, aut partis palpebrae relaxatae excisio, mederi possent. Hac enim relaxatione

a) Versuch einer neuen Heilart des Trichiasis, von Joh. Valent, H. Köbler.

b) Medicin. clinic. Seite 433.

tione ptosis quidem, nunquam vero Trichiasis producitur, nisi tarfi vitium coexistat. Omnes, qui hac medendi methodo usi sunt, nempe quae partem musculi levatoris excindere, aut ferro candenti abbreviare, jubet, mecum pro comperto habebunt, ea rarissime tantum trichiasin perfecte esse sanatam. Cl. Janin (c) egregie jam sententiam hanc firmat, plures palpebrarum prolapsarum observationes nobiscum communicans, Trichiasis plane carentes. Contigit et mihi, binis in aegrotis hac de veritate convinci; quorum unus per annos sex, per decem annos alter, relaxata palpebra superiori gravatus erat, quam non, nisi digito auxiliante, attollere poterat, trichiasis tamen uterque nullo modo invasus.

Non desunt, qui operationes in oculorum morbis sinistre administratas inter Trichiaseos causas numerandas esse putarunt. Quorum sententiae vero ea solummodo sub conditione accedere cogor, si ex inflammatione, operationis comite, tarsus intumescat; hac enim discussa morbus noster evanescit.

Tristia animi pathemata, quae fletui occasionem praebent, causarum numero adjungi, quis est, quin pro comperto habeat? Attamen et illa non immediate Trichiasis ansam praebere mihi videntur cum non, uti crederes, effusis lacrimis valde oculus velliceturet laesionem graviolem patiatur mechanico-chemicam. Afficiuntur potius hisce pathematibus glandulae Meibomianae, quae interiorlem oculi superficiem smegmate suo inungunt et defendunt. Moeror nempe omnes organorum vires sensim sensimque exhaurit; glandularum sebacearum materia inspissatur; continua lacrimarum effusione maceratur tarsus atque intumescit; cilia, purulenta glandularum materia conglutinata, elatere orbantur et Trichiasis nascitur.

Palpebrarum combustiones ac vulnera, acutis sive, sive instrumentis obtusis applicata, inter causas morbi hujus remotas referre place-

c) Janin's Bemerkungen etc. aus dem Franzöf. Seite 320.

placebit, cum cicatrices inde saepius remaneant, formae tarfi naturali obnoxias.

§. 6.

Tam a priori, quam experientia repetita edoctus sum, non nisi unicam esse causam principalem, (§. 4.) qua matre Trichiasis semper evolvitur, quae nec in spasmo, nec in cutis externae vel musculi levatoris relaxatione, sed in morbosa solum tarfi conditione posita mihi videtur. Methodo nimirum Celsiana, a Cl. Janino emendata atque amplificata, ter usus, majorem palpebrae rugam exfecavi. At tamen aegroti hac ex medela tres modo circiter per annos morbo suo liberati sunt, aut, levamine potius fruebantur. Elapso nempe hoc tempore palpebrarum membranae, tarfi continua vellicatione mediante, iterum talem in modum extensae sunt, ut morbus, quem fugatum credidisses, perfecte redierit. Sexcentas ejusmodi observationes ex clarissimorum in arte virorum experientia repetere possem, si non tempori aequae ac patientiae lectorum parcere apud animum constituissem.

§. 7.

Tot argumentis commotus sententiam meam, quae causam morbi proximam abnormi conditioni tarfi palpebrarum tribuit, eruditorum et in arte peritorum virorum examini submittere ausus sum.

§. 8.

Progredior nunc ad Trichiaseos prognosin, cui, quae de methodo mea medendi proferre ex re fore putavi, accingam.

P r o g n o s i s.

§. 9

Tarsus, si a statu naturali non valde aberret, nec ciliis densioribus ac rigidis bulbus oculi vexetur; superficialis tunc modo ac levis inflammatio corneam atque albugineam occupat tunicam, et perfectae medelae spes medico affluget. Si vero oculus jam diutius esse

esset afflicta, tarsus cum margine suo inflexo bulbum fere immediate tangeret, pili ciliarum rigidi densique bulbum vehementer pungerent; pannus oculi, pterygium, ulcera producuntur et periculum in mora est. Morbus si longiori duratione aut gradu eo proventus esset ut internarum partium oculi phlogosis jam existeret, tunc aeger dolore vix tolerabili excrucietur, non nisi in tenebrosis locis, aut oblecto oculo, morari coactus esset et miserrimam modo vitam transigeret. Quae inflammatio, tandem in suppurationem serius citius abitura, omnes oculi partes internas devastat, humores resolvit, pus corneam transfodiens exitum sibi conciliat et visus plane perit, nulla amplius arte restituendus. Quo vegetior sit aegroti corpus, quo major inprimis affectarum partium incitabilitas, aut, ut uno verbo rem absolvam, quo majori gradu diathesis jam adfit inflammatoria, eo magis periculum instans urget et eo citius exquisitissimis remediis, iisque experientia genuina comprobatis, erit succurrendum, si sensuum omnium praestantissimum aegroti servare velis.

Medendi ratio.

§. 10.

Cum certissime persuasus sim, non nisi in conditione tarsi oculorum abnormi primariam mali causam esse positam, et inde, quasi ex vero fonte, ciliarum directionem introflexam solummodo originem trahere; prae omnibus aliis tale remedium maxime congruum mihi videbatur, quod, evulsis ciliis, poros intret, pilorum cepas destruat, novumque illorum incrementum perfecte coerceat: aut tarsi dissectionem commendarem, qua tensio illius ac quasi contractio auferretur. Ab oculi bulbo tarsum ope filii removendum esse, divus jam docet Hippocrates: "Immissum in acum foramen habentem filum, in summa supernae palpebrae margine deorsum versus perpunctione facta trans mitte, et aliud itidem sub hoc inferne trajice: extenta fila consue ac deliga, donec decidant: et siquidem fatis habuerit, bene

“bene est: sin minus, et quid defecerit, rursus eadem facito “ (c) Dissectionem vero huic methodo praestantiorē esse, Cl. cum Koehlero persuasum me habeo. Minori laude digna methodus ista censenda erit, quae partem aliquam relaxati musculi levatoris exscindere jubet. Inefficaciorē denique vel istam palpebrarum sublevationem habebis, quae filo per tarsum transmissō, eoque in orbitae margine superiori emplastri ope affixo, instituitur. Hanc nempe celeb. Koehler, in libro jam citato, novissimam proposuit. De qua postea.

§. 11.

Equidem, si jactantiam illam litterariam induere vellem, quae tot citatis gloriatur, ea, quae de morbo nostro in veterum aequae, ac recentiorum, scriptis leguntur, collegissem. Sed libenter fateor, me multa quidem, non vero omnia noscere, dum res angustae, quae juvenem adhuc medicum premere solent, largiorē mihi coacervare librorum suppellectilem non concesserunt; nec occasio mihi arrisit, publico rei litterariae thesauro uti, dum hanc meam dissertatiunculam concinnarem. Sufficiet igitur aequo laboris mei iudici, ut haec solummodo adferam, quae nonnulli artis salutaris veteranae ac hodiernae principes de Trichiaeos medela condunt, quibus, quae mihi placet, novam medendi methodum, accingere eruditorumque censurae subicere licebit.

§. 12.

Si autem forent, qui, citatorum inopia non contenti, uberiorē cuperent, iis monographiam Cl. Koehleri jam supra citatam commendatissimam volo, quae fere omnia continet, ad Trichiaeos historiam medico litterariam ejusque medelam spectantia.

§. 13.

Nemo certe me vituperabit, quod inepta omnia silentio premmam consilia, quae ad morbi nostri curationem hinc illinc prolata

b

repe-

c) Hippocrat. Oper. cur. van der Lind. Tom. II. pag. 321-22.

reperimus: e. g. ranarum sanguinem, ope lintei, eo humectati, tarso applicare, ut evulforum ciliorum incrementum inde impediatur. Nec in lucem proferri merentur, qui ciliorum eradicationem dene-
gant, cum ad altiorem jam gradum inflammatio sit provecta; nam inflammatio, in pungentibus modo ciliis posita, causa hac sua remo-
ta certissime decrefcit, et ab aucta hinc nihil timendum erit irrita-
tione transitoria. Sic et consilium eorum, qui, ut tarsus totus ab-
fcindatur, suadent, omnino rejiciendum esse mihi videtur.

§. 14.

Quam medicorum atavus. Hippocratem puto, de Trichia-
feos medela proposuit sententiam, jam supra (§. 10.) allatam legi-
mus. Paucis eodem in loco verbis morbi simul characterem adum-
brare diligens iste naturae observator non neglexit.

§. 15.

In scenam prodeat Cornelius Celsus. Quae de Trichiafeos
causa profert, sequentibus verbis leguntur.

„Pili vero, qui in palpe-
“bris sunt, duabus de causis oculum irritare consueverunt. Nam
“modo palpebrae summa cutis relaxatur et procidit; quo fit, ut ejus
“pili ad ipsum oculum convertantur, quia non simul cartilago quo-
“que se remittit: modo sub ordine naturali pilorum alius ordo sub-
“crefcit, qui protinus intus ad oculum tendit.“ (d) Ultima, ut facile
perspicitur, verba Distichiasin notant.

§. 16.

Omissa ea medendi ratione, quae, ut Celsus sequentibus in
lineis docet, acu candenti per posteriorem tarfi marginem transmissio,
absolvitur; nec minus ea, quae priorem immediate sequitur, cuique
nec Celsus ipse annuit; ad illam progredimur, quam vir iste cele-
bratiff-

d) Aur. Cornel. Celsus de medicina libri octo, curante Th. J. ab Al-
meloveen. Basileae 1740. pag. 427.

bratissimus magni facit, quamque ipsis ejus verbis in medium proferre licebit.

“Ea vero curatio, quae palpebrae laxioris ab omnibus frequentatur, nihil habet dubii. Si quidem oportet contacto oculo mediam palpebrae cutem, five ea superior, five inferior sit, apprehendere digitis ac levare; tum considerare, quantum detracto futurum sit, ut naturaliter se habeat. Siquidem hic quoque duo pericula circumstant: si nimium fuerit excisum, ne contegi oculus non possit; si parum, ne nihil actum sit et frustra sectus aliquis sit. Quod deinde incidendum videbitur, per duas lineas atramento notandum est sic, ut inter oram, quae pilos continet, et propiorem ei lineam, aliquid relinquatur, quod apprehendere acus postea possit. His constitutis scalpellus adhibendus est: et si superior palpebra est, ante; si inferior, postea propius ipsis pilis incidendum: initiumque faciendum in sinistro oculo, ab eo angulo, qui temporis: in dextro, ab eo, qui naribus propior est: idque, quod inter duas lineas est, excidendum. Deinde orae vulneris inter se simplici futura committendae operiendusque oculus est: et, si parum palpebra descendat, laxanda utique; si nimium, aut adstringenda, aut etiam rursus tenuis habenda ab ulteriore ora excidenda. Ubi secta est, aliae futurae adjiciendae, quae supra tres esse non debent. Praeter haec, in superiore palpebra sub pilis ipsis incidenda linea est, ut ab inferiore parte diducti pili sursum spectent. Idque, si levis inclinatio est, etiam solum satis tuetur. Inferior palpebra eo non eget. His factis, spongia, ex aqua frigida expressa, super deliganda est. Postero die glutinans emplastrum injiciendum. Quarto futura tollenda est, et collyrio, quod inflammationem reprimat, superinungendum.” (e)

Chirurgica methodo ea, nempe, quae acu candente uti jubet, non contentus, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente

e) l. c. pag. 128. sq.

aliam proponit, quam, spreta anteriore, quae illi cruenta videtur et immanis, magis sibi ardentem sequentibus verbis laudat:

“Ego autem, quum oculum palpebra superior operit, pono unum glutinem
“(feu linteum glutine sequenti imbutum — Rec: Sanguin. draconis,
“thuris, farcocolli, mastichinis $\bar{a}a$ drachmam unam; m. pulv. et cum
“albumine ovi agitato redigatur ad mellis consistentiam —) cum
“duabus vel tribus habenis supra palpebram superiorem; alterum
“vero priori quoad habenas simile supra supercilium in frontem, tum
“ambo, vel omnes tres habenulas superiores attractas inferioribus
“habenulis alligo. Et ita aperitur oculus, fit quoque, ut spatio tem-
“poris congruo curetur palpebra relaxata, beneficio dicti glutinis ad-
“stringentis. Haec curandi ratio optime succedit, quia non tantum
“exsiccat humorem, qui jam influxit; verum etiam novum humoris
“affluxum prohibet. (f)

Potest quidem haec methodus palpebrae laxatae mederi, sed dubitatur merito, utrum Trichiasin expellere et eradicare queat.

§. 17.

Chirurgorum nostratium princeps, Cl. Richter, evulsis antea pilis, marginem tarsi interiorum cum spiritu falis ammoniaci caustico, aut solutione lapidis infernalis, illinere docet; quo fore sperat, ut margo iste per totum suum ambitum cicatrice tegatur, omnem pilorum in hoc loco excrecentiam impediens. (g)

Cl. Benjamin Bell (h) ut medendi ratio Celsiana perficiatur, instrumentum offert, quo recte metiatur, quantum e musculo levatore palpebrae excindi debeat. Tantum nimirum, quam necesse est, ut, sicuti jam Celsus docuit, tarsus erigatur.

§. 18.

f) Joann Sculteti Armamentur. chirurgic. Francofurt 1664. pag. 58.

g) Anfanggründe der Wundarzn. 2. Bd. 2. Ausgabe S. 494.

h) Lehrbegriff der Wundarzn, 3. Thl.

§. 18.

Hoc instrumentum, etsi Celsiano aptius, non omnibus ex numeris absolutum esse atque perfectum, primo jam intuitu edocemur, si eo uti velimus. Cernitur nimirum impressio quadrata, si palpebrae laxatae rugam hoc cum instrumento arripimus, leniterque compressam dimittimus. Inde sat superque elucet, ejusdem figurae partem e palpebra excindi. Quis vero nostratum est, quem fugiat, vulneris quadranguli labia non esse unienda, ideoque sanationem ejus difficillimam futuram? Cl. D. Goertz, qui Mitaviae medicinam proficitur, non modo in sanandis oculorum vitiis (uti in omnibus morborum generibus) insignis, sed variorum instrumentorum chirurgicorum emendatione etiam notus; non minus hoc quoque instrumentum emendavit. Mutavit nempe concavam ejus formam in convexam, qua nunc excisa palpebrae pars ovalem figuram angulis acutis convenientibus terminatam induit, ut quasi scalpello facta videatur. Vir iste experientissimus collyrium quoque composuit, quod non solum variis in ophthalmiis insignem adfert opem; sed saepissime etiam leucomata, quae fere insanabilia habentur, resolvit. Utinam adfecto hominum generi remedium hoc non diutius celandi propositum vir cl. capiat!

§. 19.

Saepius jam et a multis in hoc morbo eradicatio pilorum suadebatur; saepius et a multis eadem dissuasa est, quod acutis sine doloribus et subsequente inflammatione fieri non possit. Sub microscopio ponatur pilus evulsus et fere semper evulsa simul pelliculae pars pili radice adhaerens cernitur. Dolorem potissimum eo ex fonte promanare, quod evulsione pilorum incaute administrata cutis pars avellatur, ulteriore demonstratione non eget; probandum potius, sensationem illam ingratham eo vitari posse ac debere, ut, priusquam pili eradicerentur, epidermis solvatur.

§. 20.

§. 20.

Damnificus jure habetur iste rem aliquam reformandi pruritus, qui apta non solum deformat, ut non amplius cognoscantur; sed et mere inania, quin immo nociva illis superstruit, ut nulla ratione inventoris proposito eo respondeatur: qua de veritate tot Trichiasi medendi methodi testimonia exhibent, Utinam omnes Hippocratis ac Celsi successores eorum consilia, uti Janin, Bell atque Koehler, emendare, non vana jactantia modo rejicere, operam navassent. Attamen libenter fateor, illorum etiam methodo, atavorum medicorum rationem utilitate antecellere practica mihi non videri; cum, exceptis solummodo modificationibus ad levius exercitium facientibus, nil fere novi in illis reperiatur. Omnibus fere inventis recentiorum eadem est conditio, quippe quae paulum boni continent, quod non ex antiquis, quae legere non cujusvis est, obliato autore erutum fuisset.

§. 21.

Si spes mihi affulget, me Trichiasi, sublata illius causa praefenti occasionali, mederi posse, sufficiens esse videtur, pilos forcipe funditus evellere atque eradicare; soluta antea epidermide. Haec autem medendi ratio partim ineunti solummodo morbo, partim levissimo ejus gradui convenit. Posthaec ulla sine mora causae obviam ire occasionali rei natura postulat, ne denuo pili egerminent.

§. 22.

Neminem artis medicae praeceptis, quamvis tantum primis illarum rudimentis, imbutum latet, nullo morbo rite mederi, nisi artem exercens veram mali causam investigaverit. Semper ideo sedule incubui, ut in Trichiasi eas detegerem causas remotiores, quae proximam, tarsi nimirum conditionem abnormem, producerant. Attamen, et si exquisitissima remedia, quae genuina omnis aevi experientia offert, cuivis causae semper appropriare studui, nihilominus saepius

pius expertus sum, pilorum novam propullulationem nec sanguine ranarum, quem Dioscorides tot laudibus ornat, nec cinicum sanguine, cui Galenus favet, nec spiritu falis ammoniaci, nec alio pharmaco impediri posse.

§. 23.

Per longum temporis spatium atque indefessis viribus in eo incubui, ut denique remedium reperirem, quod rimas, evulsis ciliis remanentes, intret, pilorumque cepas destruat. Sed tantum aberat, ut scopum istum attigerem. Eventu felici nec semel arrisus, praeter lapidem infernalem, butyrum antimonii, falis ammoniaci spiritum causticum acidumque nitri fumantis in usum vocavi. Nunquam autem mihi contigit, alium inde effectum experiri, quam qui ferri candentis applicatione producitur. Superficies tarsi n. arginalis externa illis nimirum corrosa apparuit et quasi sphacelosa; post aliquot vero dies crusta haec decidit ac pili denuo eggerminarunt. Vigessies et quod excurrit vana tali spe ducebar; donec de tentamine. oleum vitrioli adhibendi. cogitarem. Tandem res ex votis successit et pharmacum hocce tanta fuit virtute insignis, ut nec semel amplius spem meam fefellerit atque sanatione perfecta aegroti semper gavisi sint. Ex re fore cenfeo, methodum meam studiose cum lectoribus communicare. Praemittenda mihi videntur; purissimum sit oleum vitrioli, coloris ex albido flavi, atque, ne aëris accessu debilitetur, aut, si cortice suberis, vel cera, vitrum esset clausum, carbonico non inquinetur, in vitro fervetur, quod embolo vitreo, aperturam exactissime obturante, munitum sit.

§. 24.

Ne autem pilorum eradicatione dolor cieatur, nec pili rumpantur, hac cautione hucusque usus sum, scopo meo optime respondente. Penicillum tenue, cui acumen prius jam adentum fuit, solummodo in apice suo oleo vitrioli imbibatur. Quo facto ejus ope

hi

hi loci marginis tarfi, e quibus pili prodibant, caute sunt illinendi, ut oleum vitrioli poros istos intret. Hac sub operatione cavendum fane erit, ne palpebrae margo, oleo vitrioli imbutus, oculi bulbum tangat. Quem finem ut rectius adsequaris palpebra digito auxiliante a bulbo tam diu erit removenda, donec loci, oleo vitrioli illiti, cum linteo, lacte tepido humectato, repetitis vicibus absterfi sint. Omnes palpebras, que Trichiasi infectantur, ratione eadem pertractari necesse est. Postridie pili forcipe facili negotio absque omni dolore evelluntur. Nunc foramina parvula, evulsis ciliis remanentia, denuo oleo vitrioli caute imbibenda erunt, ut pilorum cepa (s. radix) penitus destruatur. Si forsan essent, qui cuperent, ut modum, quo operationes hasce die altera instituire soleo, diligentius describam, et illis satisfacere non denegabo.

Si palpebra superior Trichiasi vexaretur, pollex sinistrae manus prope ad tarsum oculi imponendus versus frontem sursum adducatur. Sic attollitur palpebra, tarsus extrorsum vertitur et ab oculo ipso removetur. Forcipe medicus pilos singulos prope ad tarsum nunc arripiat atque evellat, donec omnibus tarsus privatus sit; quo facto ope acuminis penicilli paululum olei vitrioli pilorum vaginis applicetur. Adsit quidam, qui penicillum aequae ac vitrum oleo impletum offert, ne cogatur medicus, penicillum istud antea imbuere, quam applicationis momentum postulat. Administratoris ejusdem est, vitrum obturaculo suo probe munire, simulac penicillum imbutum est, ne aëris accessu oleum vitrioli particulis aqueis ad illud depositis adulteretur. Quando denique vitrioli oleum per aliquod temporis spatium in margine tarfi commoravit, atque quasi absorptum est, eadem ratione, ut antea dictum fuit, absterfionem ejus cum lacte tepido curabis.

Lento quidem pede methodus haec incedit, ac omnis doloris non expers habenda est, quia nimirum sensationem urentem olei vitrioli

trioli applicatio causet; sed quis est, qui modicum pati dolorem denegaret, de optimo eventu persuasus?

§. 25.

Hic procedendi modus diebus sex sequentibus repetendus venit, eo vero discrimine, ut quovis die semper superficies integra lalinatur.

§. 26.

Plerumque inunctio haec quater aut sexies repetita sufficit, ut pilorum regeneratio ea impediretur. Quod, si prima applicatio non praestaret, et unus alterve pilus reproduceretur, singulis hisce cum ciliis aequali methodo erit agendum. Semper fere palpebra oleo vi-trioli illita intumescit, sed sponte et sat cito tumor iste dissipatur, absque ullo remedio hanc ob causam adhibito. Partim tamen impediri, partim citius dissipari haec intumescencia potest, si pharmacum quodvis aptum exhibetur. Prae aliis mihi eum in finem placet Mucilaginis cydoniorum in aqua rosarum solutio, granis nonnullis opii nupta, quae externe applicatur.

§. 27.

Occasionalis morbi causa si quaedam superesset, palpebrae crassae, glandulae Meibomianae vitiosae remanent, oculi inflammati dolent, nec palpebra pro lubitu moveri potest. In tali rerum conditione officium medici postulat, ut causa peculiaris eruatur et expellatur. Plurimis Balsamum ophthalmicum rubrum cum quinta opii parte mixtum optime convenit, cui etiam pillulas e Cicutae et herbae saponariae extracto cum aethiope antimoniiali conjuncto addere felicissimo cum eventu periclitatus sum.

§. 28.

Nullum fere remedium aliud, praeter balsamum hocce, impendere opus erat. Bis tantum liquamine mustel. fluviat. hepat. usus sum, si maculae corneae, leucomata aut panni oculi simul adessent.

§. 29.

Cautelae instar pauca adhuc afferre non opus supervacaneum esse censeo. Penicillum nimirum oleo vitrioli nimium non imbuatur, quoniam oleum istud tum facile desluat, et, si bulbum oculi etiam non tangeret, attamen, secundum adhaesionis legem physicam, interiorem palpebrae superficiem peteret, unde dolor, tumor, inflammatio insignis metui deberent. Tertiam guttulae partem huic scopo respondentem puto. Sed uti non ultra consistat rectum, sic nec citra: dosis igitur non minus inopia excedat, quam abundantia. Plerumque secunda tertiave applicatio melius jam succedit, cum oleum corrodens sibi fossam aliquam jam cavavit, aequam dosin remedii hujus, sequenti vice immissam, optime retinentem.

§. 30.

Insuper cavendum erit, ne, cum aegroto citius mederi velis, eo inducaris, ut illinendo cum oleo vitrioli tarsus totus inquinetur; quod paene nunquam res postularet. Praestat plerumque puncta ista, e quibus pili migrant, remedio jam dicto rite imbuere, posthaec caute et optime abluere nec alio, nisi purissimo, oleo vitrioli uti.

§ 31.

Hoc loco eos enumerare possem, qui Trichiasi laborantes, me medicum quaesiverunt, quique, remedio hoc mediante, in pristinam sanitatem redibant. Sed garrulitate atque verborum copia, quae circumforaneorum gloriationem redolet, dissertatiunculam istam stipare, a proposito meo quam maxime abhorret. Si igitur forent, qui crederent, laudes, oleo vitrioli in hoc morbo tributas, hyperbolicas esse, hi de contrario optime convinci possent, si, data occasione, commendato cum pharmaco periculum facerent repetitum. Propterea et testimonia virorum in arte eruditorum omnique fide dignissimorum
silencio

silentio premam, qui, methodum meam strictissime sequentes, felicissimum inde successum experti sunt.

§. 32.

Missis his omnibus, ulla absque sermonis ac dictionis suavitate, qua non polleo, simplici narratione remedium meum eruditorum examini tradidi, quod in aegrotorum solamen publici juris facere officii mei esse putavi. Criminis reum nempe quemlibet semper censui, qui lucri cupidus, rem aliquam diu celare non erubescit, ex qua humanum genus utilitatis aliquid capere possit.

§. 33.

Qui, hoc fragmento non contenti, divitiorem morbi nostri monographiam desiderarent, librum jam citatum Cl. Koehleri evolvant, quaeso. Vir enim iste doctissimus omnes medicos antiquiores mediae aetatis ac novissimos recenset, qui de Trichiasi ejusque mendendi ratione scripserunt.

Errata:

Pag. 4. lin. 26. reprehenduntur — leg: deprehenduntur.

Pag. 5. lin. 10. contemptandus — leg: contemplandus.